

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1463

Auteur(s) : Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1131

Lieu d'émission : Arques

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Charte confirmative de Henri Ier, roi d'Angleterre, de la fondation de la Collégiale de Beaumont.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° III, p. 7-10.

Texte établi d'après a

Regnante Henrico rege Anglorum, Robertus comes de Mellent, de terris et honoribus quos in Anglia adquisivit, dedit ecclesie Sancte Trinitatis de Bellomonte et canonicis manerium quoddam juxta Hungrefort situm, nomine Edenenotam, ita quietum et liberum sicut ipse habebat in dominio suo de Rege Anglorum, et preter hoc, ecclesiam de Blenefort, de donatione uxoris sue Ysabelle, comitisse de Mellent. Et hoc fecit concedente et per cartam suam corroborante domino suo Henrico, rege Anglorum. Eodem fere tempore, predicta Elisabet, comitissa de Mellent, dedit prefate ecclesie Sancte Trinitatis, ad luminare videlicet ipsius ecclesie, XX solidos in theloneo de Bellomonte, concessu viri sui Roberti comitis de Mellent. Has donaciones fecit Robertus comes de Mellent pro anima domini sui Willelmi regis expugnatoris Anglie, et regine Mathildis, et Willelmi regis, eorumdem filii, nec non et pro salute et prosperitate Henrici, regis Anglie, et regine Mathildis, et Willelmi, filii eorumdem, et pro redemptione anime patris sui Rogeri de Bellomonte, et Adeline, matris sue, nec non et pro semetipso, uxoreque sua et liberis suis. Per idem tempus Radulfus Picerna dedit et concessit ecclesie Sancte Trinitatis I marcam argenti in Anglia, de redditibus suis, quousque aliud assederet predictae ecclesie, sive in terra sive in ecclesia, et hoc ad duos terminos anni, scilicet ad terminum Purificationis dimidiam marcam et ad terminum Sancti Michaelis dimidiam. Uxor autem ejus, Avicia, dedit predictae ecclesie, de redditibus suis de Bellomonte, XIII solidos per annum ; et pater ejus Robertus, filius Erchemboldi, dedit predictae Sancte Trinitatis duas partes decime de Claiebroc, pro X solidis, quos eidem ecclesie promiserat. Gaufridus eciam de Turvilla dedit supradictae ecclesie in Anglia per annum X solidos quousque assederet eos in aliis redditibus. Sub eodem tempore, Osbertus Mansiconarius dedit predictae ecclesie terram circumjacentem ecclesie sancti Albini cum horreo suo, quod ipse ibidem fecerat, et in Novo Burgo, unam domum, pro anima sua et uxoris sue ; et Tustinus Fivarrat, unam domum que fuit Bernardi Rage. Willelmus de la Prea dedit eidem ecclesie agros de terra quam habebat in Mesnillo Isemberti. Circa id tempus, Robertus Pipardus dedit predictae ecclesie Sancte Trinitatis plenariam decimam de molendino suo de Merlevilla, et Radulfus vicecomes de Bellomonte dedit predictae ecclesie terram quamdam quam habebat juxta novos molendinos. Fromondus Janitor dedit predictae ecclesie unam aream horti in capite calceate juxta vivariam. Henricus capellanus, factus canonicus,

concessit ecclesie Sancte Trinitatis omnia que habebat in ecclesiis de Normannivilla et de Chaer, et hoc post decessum suum ; in vita autem sua singulis annis V solidos. Radulfus de Grolaio, factus canonicus, concessit predicte ecclesie et canonicis, ecclesiam Sancti Petri de Huaveria, cum terris et decimis et omnibus rectitudinibus eidem ecclesie pertinentibus. Robertus, filius Germani, factus canonicus, concessit eidem ecclesie medietatem decimarum quas habebat in Barco, in vita sua ; post mortem autem suam, totum, et domos suas de Rothomago. Post mortem Roberti comitis de Mellent, regnante adhuc Henrico rege Anglorum, Galeranus, comes de Mellent, pro anima fratris sui bone memorie, comitis Roberti et antecessorum suorum, et pro redemptione anime sue et parentum et amicorum suorum, in prefata ecclesia Sancte Trinitatis, ad honorem Dei et ad amplificationem servicii Sancte illius matris ecclesie, panem communem fieri instituit, secundum consuetudinem videlicet Sancte matris Ebroicensis ecclesie, et aliarum ecclesiarum hanc institutionem tenencium. In primis ergo ad hoc tale et tantum negocium dedit et concessit et confirmavit idem comes Galeranus ecclesiam Sancti Petri de Bellomonte, cum terris et decimis et omnibus eidem ecclesie pertinentibus, et cum omnibus que Ricardus de Bellomontello in eadem villa tenerat, tam in bosco quam in plano, et in domibus et in viridariis et aliis rebus ; ita tamen quod Philippus decanus, qui in earum rerum acquisitionem ad opus ecclesie Sancte Trinitatis laboraverat, quamdiu vixerit, nisi vivens sponte dimiserit, medietatem decimarum habeat ecclesie Sancte Trinitatis ad communem panem. Dedit eciam comes Galeranus ad predictum panem in molendinis de Stagno de dominio suo unum modium frumenti, et molturum illius modii quietam in molendinis suis de Stagno.

Non multo post tempore, Osbertus de Barnenvilla, monitu, concilio et concessu domini sui comitis Galerani concedente eciam et per cartam suam hoc idem confirmante H[enrico] rege Anglorum, pro redemptione anime sue dedit supra memorate ecclesie Sancte Trinitatis, ad amplificationem communitatis panis, ecclesiam Sancti Petri de Burnenvilla, cum terris et decimis, et hominibus, et omnibus aliis rebus eidem ecclesie pertinentibus, sicut eam tenebat de elemosina domini G[alerani] comitis Mellentis. Dedit eciam, cum ecclesia, totum alodium suum quod in eadem villa de comite hereditarie tenebat, et quicquid omnino tenebat in predicta villa, tam in terris quam in hominibus et omnibus aliis rebus, de quocumque ea teneret. Hoc donum posuit idem Osbertus super altare Sancte Trinitatis, astante et favente comite Gualerano et baronibus suis. Theobaldus, mariscalus comitis, ad predictum panem dedit ecclesie Sancte Trinitatis redditum VI solidorum per annum in Sarchinneio. Has itaque supradictas omnes donationes veteres et modernas factas predicte ecclesie, Ego Henricus, Dei gratia, Rex Anglorum et dux Normanorum, concedo, collaudo, confirmo, et regia auctoritate et a Deo mihi collata potestate corroboro, et illi ecclesie in perpetuum inviolate illibateque obtinentum statuo, teste audientia et presencia Hugonis, archiepiscopi Rothomagensis et Johannis, episcopi Lexoviensis, et Audini, episcopi Ebroicensis diocesalis, et Johannis, episcopi Sagiensis, et Roberti de Sigillo, et Nigelli, nepotis Rogeri, episcopi Sarisburiensis, et Roberti, comitis Glocestrie, filii mei, et Willelmi, comitis de Warena, et Walerani, comitis Mellenti, advocati ecclesie supradicte, et Roberti comitis Legrecostrie, et Walteri Gifardi, et Rabeli de Tancarvilla, et Briencii filii comitis, et Hugonis Bigoti, dapiferi, et Roberti de Haia, dapiferi, Vinfredi de Buhunio, dapiferi, et Willelmi filii Odonis conestabilis, et Willelmi de Romuara, et Henrici de Pom., et Gaufridi, filii Laq. Homines comites Mellenti: Willelmus, filius Roberti Willelmi de Teobovilla ; Udardus de Moreinviler, dapifer, Mectt. Walerani de Med, Willelmi de Pin, Willelmus conestabilis. Peracta feliciter apud Archas, in transitu meo in Angliam, anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi millesimo centesimo tricesimo primo et regni mei XXXmo Imo.